

CAPUT II.

DE PARTIBUS PRUDENTIÆ ET VITIIS OPPOSITIS.

DUBITATIO I.

QUÆ SINT PARTES SUBJECTÆ PRUDENTIÆ, ID EST, IN QUAS SPECIES DIVIDATUR.

D. Thom. quæst. 48. et 50.

25. Notandum est, D. THOM. q. 78. constituere triplices partes prudentiæ; nempe subjectivas, potentiales, et integrales. *Subjectivas* vocat species seu inferiora; quo modo homo et brutum dicuntur partes animalis. *Potentiales* vocat virtutes quasdam adjunctas, quæ ordinantur ad aliquos secundarios actus vel materias; ita ut non habeant totam vim principalis virtutis, quo modo potentiæ animæ dicuntur animæ partes apud Philosophos. *Integrantes* vel quasi integrantes vocat ea, quæ necesse est concurrere ad perfectum actum virtutis. Hic quærimus de partibus subjectivis, in quas tanquam in inferiora dividitur.

26. Respondeo igitur prudentiam posse recte dividi, *primo* in naturalem et supernaturalem, sive in acquisitam et infusam. *Naturalem* voco, quæ non excedit limites rationis naturalis. Hanc solam Philosophi agnoverunt. Pendet ex *synderesi*, quæ est notitia principiorum practitorum, ut Decalogi et similium; et ex virtutibus moralibus sui ordinis; comparaturque usu: nascitur enim ex actibus. *Supernaturalis* est, quæ limites notitiæ naturalis excedit; pendet ex fide et ex virtutibus moralibus sui ordinis. Sicut enim sunt aliquæ virtutes morales commensæ prudentiæ naturali, et tendentes ad honestum naturale, quod est consentaneum naturæ rationali qua talis est: ita etiam videntur esse quædam virtutes morales commensæ dictamini prudentiæ infusæ, tendentes in honestum supernaturale, quod est consentaneum statui hominis supernaturali: nimirum hominis Christiani filii adoptivi Dei, etc. de quo plura 1. 2. q. 58.

27. *Secundo* dividitur immediate in prudentiam *personalem*, seu *solitariam* et in *gubernatricem*. *Gubernatrix* dividitur in quatuor species; *œconomicam*, *civilem*, *legislatricem* et *militarem*. Itaque in universum ponuntur quinque species prudentiæ. Ex quibus quatuor priores proponit Aristoteles L. 6. Eth. c. 8. et vocat partes prudentiæ; quintam addit D. TH. quæst. 50. art. 4. *Solitaria* seu *personalis* est, qua quis in singulis actionibus spectat, quid agere deceat, proprium intendens bonum. *Œconomica*, qua quis recte gubernat familiam, ejus bonum solum spectans. *Civilis* seu *politica* est, qua quis recte administrat civitatem, legesque servari curat. *Legislatrix* seu

nomothetica est, qua quis idoneas leges condit. *Militaris*, qua militia rite administratur.

Ratio harum specierum est, quia prudentia generatim accepta est procurare bonum hominis operationum directione: hoc autem procuratur vel directe, vel indirecte, scilicet amoliendo mala, quæ bonum hominis impediunt. Si indirecte, hoc fit per prudentiam militarem, qua hostes bonum publicum et privatum perturbantes avertuntur. Si directe, vel procuratur bonum proprium, vel communitatis: si proprium, erit prudentia personalis: si vero communitatis, tum vel familiæ, vel reipublicæ: si familiæ bonum intendatur, erit *œconomica*: si reipublicæ, id fiet vel ferendo leges, quod proprium est supremi Principis, et sic erit *legislatrix*; vel curando proxime ut mandentur executioni, quod fit per magistratus immediatos, et sic erit prudentia *civilis*. Per *civilem* enim non intelligit Aristoteles virtutem subditorum, quæ legibus parent, ut D. TH. videtur accipere; sed magistratum, qua curant leges servari, et totam rempublicam gubernant, ut recte Eustratius exponit. Nam Aristoteles ponit duas hujus partes, consultricem et judicatricem: illa præbet in dubiis consilium, hæc exercet judicia in tribunalibus; quorum utrumque pertinet ad personam publicam. Adde non esse opus peculiari prudentia in cive, ut legibus communibus pareat, sicut nec in domesticis, ut præceptis patrisfamilias.

28. Hic tamen notandum est 1°. solam *prudentiam personalem* absolute dici prudentiam, et hominem facere absolute et simpliciter prudentem, ut docet Aristoteles c. 8. Quia is solus absolute prudens est dicendus, qui sua præ cæteris omnibus curat, seipsum omni virtute exornans. Prudentia enim per se primo curat bonum suum, id est, sui subjecti. Cæteræ vero prudentiæ species non vocantur absolute nomine prudentiæ; sed secundum quid, seu cum adjuncto, ut prudentia *œconomica*, vel *civilis*, vel *legislatrix*, vel *militaris*; quia non spectant bonum suum, sed alienum: unde neque necessario postulant, neque faciunt affectum habentis rectum; sed potius affectum alienum, præsertim *œconomica*, *civilis* et *legislatrix*; quia intendunt bonum communitatis; nempe ut familia vel respublica secundum virtutem degat. Nam *militaris* potius videtur esse ars quædam disponendi exercitum ad prælium, quam species prudentiæ; sicut ars nautica, ars negotiandi, et similes: unde quidam de arte militari scripserunt. Potest tamen poni species prudentiæ, quatenus disponit et curat ut milites fortiter et cum virtute militares functiones obeant; hoc enim videtur proprie officium prudentiæ militaris: unde supponit artem militarem, eique addit rationem dirigendi milites secundum virtutem.

2°. Singulas species dictas posse rursus in multas alias vel species, vel potius partes veluti integrantes dividi. Probabile enim est prudentiam personalem tot habere partes specie distinctas, quot sunt species virtutum. Non enim qui prudens est in functionibus justitiæ, statim est prudens in functionibus temperantiæ, vel fortitudinis; quamvis ut absolute dicatur prudens, debeat in omni materia virtutis passim occurrente prudens esse. Item dicendum de prudentia civili, *œconomica*, *legislatrice* et *militari*. Varia enim sunt genera militiæ, et gubernationis civilis et domesticæ, ratione variarum circumstantiarum, tum loci, tum personarum, tum finium adjun-

ctorum, ut commodorum vel incommodorum, quæ diversissimam rationem agendi postulant, ut bonum exitum habeant.

3^a. Prudentiam personalem quodammodo complecti omnes alias prudentiæ species; quia potest se extendere ad omnes illarum functiones, dictando de eisdem actionibus de quibus ipsæ, sed sub alia ratione. Quidquid enim ordinat vel jubet paterfamilias per prudentiam œconomicam, spectans bonum familiæ, potest ordinare et jubere per prudentiam personalem, spectando bonum honestum suæ actionis; nempe ut officio suo satisfaciat. Quatenus enim in agendo spectat ut familia recte sit disposita, dirigit suam actionem prudentia œconomica; ut vero intendit satisfacere suo officio, vel agere id quod decet suam personam, dirigit eam prudentia personali. Idem dicendum de civili, militari et legislatrice.

Itaque prudentia personalis omnino completa, qua quis in omni statu, seu officio potest se gerere ut decet, includit illas prudentias tanquam partes, superaddens illis respectum ad proprium bonum, quod est honeste agere. Neque enim Rex potest habere prudentiam suæ personæ necessariam, et facere omne id quod se decet, nisi norit leges utiles ferre; et ita requirit prudentiam legislatricem. Neque Magistratus officio suo satisfacit, qui non novit Rempubicam administrare, judicia exercere, bono civium consulere; et ita requirit civilem. Et hoc est quod vult Aristoteles c. 8. in principio, cum ait: *Prudentiam et civilem (πολιτικὴν) esse eundem habitum, sed non habere eandem rationem seu idem esse.* Prudentia enim completa includit civilem et reliquas tanquam sui partes: refert tamen illarum materiam ad suum finem; et ita distinguitur ratione formali. Vide Giralduum in L. Ethic. q. 14. Si tamen prudentia personalis accipiatur ut dirigit hominem constitutum extra publicum officium, sic non includit illas; sed est species omnino distincta a cæteris.

DUBITATIO II.

QUÆNAM SINT PARTES INTEGRANTES PRUDENTIÆ.

D. Thom. quæst. 49.

29. Notandum est partes integrantes prudentiæ posse dupliciter poni. *Primo*, ut partes integrantes dicantur illæ, ex quibus veluti membris prudentia tota proprie constat. Non enim prudentia est simplex aliquis habitus, sicut neque scientiæ speculativæ; sed constat multis partibus instar totius heterogenei, respicientibus diversam rationem honesti, quæ est in diversis virtutibus. Aliis enim regulis et notionibus diriguntur functiones justitiæ, aliis temperantiæ, aliis fortitudinis et patientiæ: quæ tamen omnes necessariæ sunt ad integram et absolutam prudentiam. Dicitur autem prudentia una virtus, sicut Theologia et Physica dicitur una scientia: nempe quia respicit unum objectum generale, quod est vivere secundum virtutem; idque sub uno eodemque modo tendendi, qui est considerare singulas actiones cum omnibus circumstantiis, de quo plura 1. 2. q. 57. Verum D. Th. non loquitur hoc modo de partibus prudentiæ; quia non videtur tales ponere. *Secundo*, ut partes integrantes prudentiæ dicantur quædam functiones, sine quibus non habetur perfectus usus prudentiæ. Hoc modo D. Th. ponit octo partes pru-

dentiæ, *memoriam, intelligentiam, docilitatem, solertiam, providentiam, rationem, circumspersionem, cautionem*, e quibus *solertia et docilitas* maxime juvant ad acquirendam prudentiam; *memoria, intelligentia, providentia, ratio* potissimum adjuvant usum prudentiæ in consultando et judicando; *cautio et circumspertio* ad executionem operis, quæ dicitur fieri imperio prudentiæ.

Memoriam vocat recordationem eorum, quæ legimus, audivimus, vidimus, aut aliter experti sumus. Ex his enim sæpe numero facile colligimus quid in præsentis negotio expediat; plurimum enim valent tum exempla aliorum, tum experientia ipsa ad prudentiam.

Intelligentiam vocat notitiam præsentium: ut enim prudenter judices, necesse est præsentem statum rei tibi esse probe perspectum. Potest etiam hoc nomine significari notitia principiorum moralium.

Providentia dicitur consideratio futurorum eventuum, qui possent sequi ex opere.

Ratio dicitur promptitudo quædam ratiocinandi, et aliud ex alio colligendi.

Docilitas accipitur pro affectu et promptitudine ad discendum.

Solertia (quam Arist. vocat ἀρχινοειαν et melius latine diceretur sagacitas) est species bonæ conjectationis (quæ ipsi dicitur ἐδοστόγεια); est enim solertia seu sagacitas, medii, id est rationis alicujus cur res sit probanda vel improbanda inventio tempore brevissimo, ut idem Aristoteles docet L. 2. prior. Analyt.

Circumspertio est consideratio circumstantiarum, ne qua desit in opere.

Cautio est cura ut vitentur incommoda, quibus res est exposita, v. g. ne proximus offendatur, ne incidat in adversam valetudinem: poterat hæc sub circumspertione comprehendi.

Notandum est, non omnes hos actus a diversis habitibus proficisci. Cautio enim, circumspertio, providentia et intelligentia sunt actus prudentiæ; quia intrinsece includuntur in prudenti judicio, et executione. Memoria, ratio, solertia, et docilitas tantum requiruntur ad acquirendam prudentiam, vel ad acquisitæ perfectiorem usum.

DUBITATIO III.

QUÆ SINT PARTES POTENTIALES PRUDENTIÆ.

D. Thom. quæst. 51.

30. *Respondeo*, valde ingeniose a D. Th. poni tres partes potentiales prudentiæ; *eubuliam, synesin, et gnomen*. Per *eubuliam* intelligit habitum quemdam, qui præbet facultatem recte consultandi, id est, inveniendi bonum consilium in rebus ambiguis et perplexis. Per *synesin*, habitum recte judicandi de consultatis, idque ex consideratione communium principiorum practitorum, scilicet legum naturalium et positivarum, et finium illarum, quos fines legislator spectavit. Per *gnomen*, habitum recte judicandi ex principiis quibusdam altioribus contra tenorem verborum legis, juxta tamen mentem legislatoris; vide Cajet. q. 120. art. 5. et 2. Vocat autem has partes potentiales prudentiæ; quia prudentia his utitur ad suum finem, veluti membris qui-

busdam suis; vel ut anima utitur suis potentiis ad suum finem. Sicut enim in singulis animæ potentiis elucet vis, et conditio animæ, etsi non plene: ita in istis facultatibus, earumque functionibus elucet natura et conditio prudentiæ, etsi non adæquate.

Utrum sint habitus distincti ab habitu prudentiæ, dubitari potest. Probabilis est non esse ab illa distinctos realiter, sed esse ipsam prudentiam inadæquate consideratam; nempe ut se ad hanc vel illam functionem extendit, ut probat Giraldus L. 6. q. 13. *Probatur*, quia prudentiæ proprium est inquirere media ad finem idonea: atqui hoc fit bona consultatione; ergo bona consultatio est actus proprius prudentiæ. Unde recte Aristoteles ait c. 7. L. 6. *Prudentiæ maxime opus esse dicimus, recte consultare*. Neque satisfacit, si dicatur: prudentiæ proprium est bene consultare, quod imperet illam; nam consultatio de mediis non imperatur proprie a prudentia, sed a cognitione et amore finis. In qua cognitione finis non tam cernitur prudentia quam synderesis. Cernitur autem primo in consultatione, si bene fiat; ergo bona consultatio est prima functio in qua prudentia elucet. Quod etiam recte judicare sive ex ipsis legibus, et earum finibus, quod facit *synesis*, sive ex altiori consideratione, quod facit *gnome*, sit actus prudentiæ elicitus, patet; quia per hunc actum prudentia imperat voluntati, eamque et potentias inferiores in executione dirigit, ut supra ostensum est.

31. *Dices*, Aristotelem per *synesin* non videri significare partem aliquam prudentiæ, seu iudicium prudentiæ præcedens executionem; sed perspicaciam quamdam ingenii in alio, qui de iudicio et facto prudentis acute iudicat, ut exponit Eustratius in c. 40. L. 6.; dicitur enim *σύνετος καὶ εὐσύνετος*, teste Aristotele ibidem, qui altero aliquid dicente vel faciente statim potest percipere, rectene an secus dictum factumve sit: sicut discipulus dicitur *ξυιέναι* et *εὐσύνετος*, qui statim percipit quod magister docet. Unde apud Græcos *ξυιέναι* sæpe usurpatur pro *μανθάνειν*, quod est percipere quod alius dicit.

Respondeo, verum esse Aristotelem quidem hoc pacto *synesin* ibi accipere: non tamen negat quin similis facultas in prudente requiratur circa inventa per consultationem. Unde recte D. TH. posuit partem prudentiæ. Imo ipsemet Aristoteles L. 4. *Magnor. moral. c. 33.* expresse docet *synesin* esse prudentiæ partem; quamvis interdum esse possit in eo qui non est prudens. Per *γνώμην* idem intelligit Aristoteles, quod D. THOM.; nam L. 6. *Ethic. c. 11.* dicit *gnomen* esse rectum iudicium æqui et boni. *Æquum et bonum*, quod Græcis dicitur *τὸ ἐπιεικές*, est, quod cum sit contra verba legis, etsi non contra mentem Legislatoris, iudicio prudentis definitur; vel ut Aristot. L. 5. c. 10. definit, est *correctio legis, quatenus deficit ob universalem locutionem*. Eodem pertinet sententia D. THOMÆ, cum ait *gnomen* iudicare ex principiis extraordinariis contra verba legis; idem enim valent corrigere legem ubi deficit ob universalem locutionem, quod proprie ad *gnomen* pertinet, ac iudicare ex altiori principio contra verba legis. Ratio autem cur interdum opus sit hac correctione legis, et consideratione altioris principii, quam sit finis proximus legis, est quia leges universaliter latæ sunt, ut legislator finem proximum, quem per illam intendit, ut plurimum assequatur: quo fit ut multi casus occurrant, in quibus non expedit eas servari, quia

aliquid fieret contra aliam legislatoris intentionem, et contra bonum publicum vel privatum. Universales enim regulæ in rebus practicis patiuntur nullas exceptiones; hæ exceptiones quia verbis legum comprehendere non poterant, relictæ sunt iudicio prudentum, et vocantur *τὸ ἐπιεικές*, id est, æquum et bonum. Iudicium vero quo de illis iudicatur, vocatur *gnome*, quod latine benignam sententiam possumus nominare: hoc autem peti debet ex altiori consideratione, ob quam verba legis non sunt servanda. In legibus pœnalibus dicitur *συγγνώμη*, id est, venia, vel pœnæ mitigatio. Exempli gratia, lex universe præcipit: qui occidit, occidatur. Tu tamen invasus ab alio, occidisti: vir æquus, per *γνώμην* iudicat verba legis hic non esse servanda, teque non esse morte puniendum: quod iudicium pendet ex alia consideratione, quam præceptum legis illius. Virtus vero quæ in voluntate respondet huic iudicio, dicitur *ἐπιείκεια*. Unde sicut *ἐπιείκεια* se habet ad iustitiam, ita *γνώμη* se habet ad prudentiam. Est igitur pars potentialis prudentiæ, sive prudentia ipsa, ut versatur circa æquum et bonum: sicut *ἐπιείκεια* est pars iustitiæ, et iustitia quædam, ut recte Aristoteles c. illo 10. docet; quod quomodo verum sit dicitur infra c. 47. dub. 9.

DUBITATIO IV.

QUOT ET QUIBUS MODIS PECCATUR CONTRA PRUDENTIAM.

D. Thom. quæst. 53. 54. 55.

32. *Dico I.* Generatim loquendo, omne peccatum est contra prudentiam.

Patet, quia omne peccatum est contra iudicium prudentiæ, sicut omne opus bonum est secundum iudicium prudentiæ. Adverte tamen non esse necessarium, ut sicut omne opus bonum sequitur ex iudicio prudenti, ita omne opus malum sequatur ex iudicio imprudenti; potest enim sequi ex iudicio indifferenti, quo aliquid iudicatur non quidem esse honestum, vel turpe, sed esse delectabile, vel molestum. Hoc enim iudicium sufficit, ut voluntas possit illud opus velle, aut nolle, ut ostensum est 1. 2. q. 9. a. 1. dub. 4. et 5.

33. *Dices*. Omnis peccans est imprudens, imo et ignorans, teste Aristotele; ergo omne peccatum sequitur ex errore, vel ignorantia.

Resp. Negandam consequentiam. Dicitur imprudens, non quod semper imprudenter iudicet; sed quia imprudenter, id est, contra prudentiæ dictamen, operatur. Dicitur ignorans, non quod necesse sit ut ignoret rem esse turpem, vel noxiam saluti; sed quia vel ignorat, vel non satis considerat illam turpitudinem, quam si consideraret, ut par est, non faceret. Et quamvis fieri possit ut aliquis plenissime rei turpitudinem considerans, eam nihilominus faciat, propter voluntatis libertatem, quæ sicut bonum honestum etiam clare propositum non necessario amplectitur, sed potest repudiare, ob molestiam annexam; ita objectum turpe clare propositum non necessario repudiat, sed potest amplecti ob voluptatem annexam: tamen hoc rarissime fit. Unde universe dici potest, omnem peccantem esse ignorantem.

34. *Dico II.* Si magis speciatim loquamur, dupliciter contra prudentiam peccatur, juxta D. Thom., per excessum, et per defectum.

Probatur, quia sicut objecta aliarum virtutum consistunt in medio, ita etiam objectum prudentiæ: idem enim est objectum circa quod versatur prudentia consultando, et judicando, ac aliæ virtutes inclinando; ergo sicut contra alias virtutes potest peccari per excessum et defectum, ita contra prudentiam.

35. *Dico III.* Per defectum contra prudentiam peccatur quadrupliciter, *præcipitatione, inconsideratione, inconstantia et negligentia.*

Probatur, quia ea peccata sunt proprie contra prudentiam, quæ sunt contra regulas prudentiæ, quas ipsa in suis functionibus servare debet; item quæ sunt contra functiones proprias prudentiæ: atqui hæc peccata sunt talia; ergo. Minor patet: Prima enim regula prudentiæ est, ut priusquam opus aggrediaris, vel judicium feras, deliberes de mediis, de modo, et ordine exequendi, de cavendis impedimentis, etc.; contra hanc regulam est *præcipitatio*, quæ proposito aliquo fine statim opus aggreditur, vel certe judicat de mediis, et modo exequendi, omissa deliberatione. Secunda est, ut rem de qua judicandum est, ejusque circumstantias diligenter inspicias; contra hanc est *inconsideratio*, quæ judicat, omissa diligenti inspectione. Tertia est, ut rebus deliberatis, et recte judicatis inhæreas, neque te sinas ob leves ratiunculas divelli; contra hanc est *inconstantia*, qua sine ulla, vel certe sine justa causa mutas sententiam. Quarta est, ut rem deliberatam et judicatam, opportuno tempore mandes executioni; contra hanc est *negligentia*. Hæc tamen dupliciter potest considerari: *primo*, ut est ommissio diligentiae requisitæ in ipso opere externo, et sic non est directe contra prudentiam, sed contra virtutem, in cujus materia versatur; ut negligentia in orando, est contra religionem; in solvendo debito, contra justitiam. *Secundo*, ut est ommissio diligentiae requisitæ in actu intellectus excitantis et dirigentis voluntatem et vires externas ad executionem; et sic est contra prudentiam. *Præcipitatio* igitur est directe contra *consilium*: *inconsideratio* contra *judicium*: *inconstantia* contra *judicii firmitatem*: *negligentia* contra *rationis vigilantiam* in exequendo. Est enim ommissio actuum rationis, qui necessarii sunt, ut opus suo tempore fiat.

36. Notandum est 1º, *præcipitationem* et *inconsiderationem* non esse peccatum mortale, nisi ratione periculi alicujus peccati mortiferi, cui se homo exponit, præcipitanter vel inconsiderate judicando vel agendo: quia sicuti in actibus prudentiæ non quæritur rectitudo propter ipsos actus, sed propter opus quod illis actibus est dirigendum: (quia in regula non quæritur rectitudo propter ipsam regulam, sed propter id, quod regulæ est conformandum) ita pravitas imprudentiæ æstimanda est ex opere, quod inde sequitur. *Inconstantia* nunquam est peccatum mortale, nisi quis ex voto, vel præcepto teneatur persistere in sententia, vel ob aliquam causam extrinsecam, ut ad vitandum scandalum, etc. Idem dico de *negligentia*; hæc enim non est peccatum mortale, nisi negligas id, ad quod sub peccato mortali teneris, vel ita sis animo remisso ad ea quæ salutis sunt, ut evidenti periculo aliquid tale negligendi te exponas.

2º. Ad prædicta peccata reduci alia quædam, quæ non sunt tam directe contra prudentiam, ut *obliviositatem, indocilitatem et defectum ratiocinandi, ad præcipitationem: defectum intelligentiæ, cautele et circumspeditionis, ad inconsiderationem*; ad eandem referri potest *improvidentia, et defectus solertiæ*; etsi D. Th. referat ad *inconstantiam, et negligentiam*; sed res est parvi momenti.

37. *Dico IV.* Per excessum, vel potius quadam specie et imagine prudentiæ, peccatur contra prudentiam sex modis, juxta D. Th. *Prudentia carnis, astutia, dolo, fraude, sollicitudine temporalium, et sollicitudine futurorum.*

Prudentia carnis dicitur, qua quis vivit secundum carnem: ut colligitur ex Apostolo ad Rom. 8. ubi opponit prudentiam carnis prudentiæ spiritus; et sapere secundum carnem, ei quod est sapere secundum spiritum. Nam finis prudentiæ carnis est vivere secundum carnem, sicut finis prudentiæ spiritus est vivere secundum spiritum. *Vivere autem secundum carnem* est sequi instinctus et motus naturæ corruptæ; seu, est facere opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, et cætera, quæ Apostolus recenset c. 5. ad Galat. Itaque *prudentia carnis* est, quæ excogitat idonea media ad opera carnis complenda: sicut *prudentia spiritus* est, quæ excogitat idonea media ad opera, seu fructus spiritus; de quibus Apostolus agit eodem capite. Sicut enim omnis virtus habet suam prudentiam, qua tanquam regula in suis functionibus dirigatur, ut opus suum honestum reddat, quod est ejus finis intrinsecus; ita omne vitium habet suam quamdam falsam prudentiam, qua dirigatur ad obtinendum bonum delectabile, quod est ejus finis; hæc dicitur prudentia carnis.

38. Notandum autem est 1º. Sicut prudentia vera supponit, et includit appetitum honesti, sine quo appetitu nuda illa notitia intellectus non habet rationem prudentiæ: ita prudentia carnis, quæ est falsa prudentia, supponit, et includit affectum operum carnis, sine quo affectu non dicitur prudentia carnis. Supponit quidem; quia judicium omnis prudentiæ sive veræ, sive falsæ plurimum pendet ex affectu; *qualis enim quisque est, ita judicat*, ut Aristoteles ait, id est, quisque judicat convenienter suis affectibus. Includit vero; quia prudentia non significat qualemcumque notitiam mediorum, sed directam et ordinatam ad opus: itaque includit affectum operis. Unde Apostolus nomen prudentiæ seu *φρονήσεως* vel *φρονήματος* passim usurpat pro affectu alicujus boni honesti, aut delectabilis, movente intellectum ad excogitationem mediorum quibus illud obtineatur: vel pro cogitatione intellectus, quæ ab affectu seu intentione ad illud bonum ordinatur. Sic c. 8. ad Rom. *Sapere secundum carnem mors est: φρονεῖν κατὰ σάρκα*, id est, habere affectum et cogitationes intentas ad opera carnis. Simili modo accipit, cum ait: *Prudentia spiritus vita, et pax.* Et ad Philipp. 2. *Hoc enim sentite in vobis, quod et in Christo Jesu, græce, τοῦτο φρονέστω ἐν ὑμῖν*, id est, talis sit in vobis affectus, vel talis cogitatio, ex affectu procedens.

2º. Prudentiam carnis imitari veram prudentiam; quia sicut hæc quærit, et invenit media vere idonea ad finem honestum; ita illa quærit, et invenit media vere idonea ad finem delectabilem, ad honores, etc. Unde non est

necessarium in iudicio hujus prudentiæ esse errorem, seu falsitatem; quia non est necesse ut media non sint idonea ad finem, vel ut iudicet illa esse absolute bona: sed satis est si iudicet esse convenientia ad finem propositum, ad quem vere idonea sunt. Potest tamen tale iudicium dici practice falsum, quia est causa pravæ electionis; sive quia non est consentaneum appetitui recto.

3^o. Prudentiam carnis non esse peccatum, nisi ratione affectus pravi, cui subest. Unde si hic sit peccatum mortale, erit peccatum mortale; si veniale, erit veniale, ut patet ex dictis l. 2. q. 17. a. ult. Consilium enim et iudicium sunt actus imperati ab intentione. Unde accipiunt suam bonitatem vel pravitatem ab intentione.

39. *Astutia* generatim, est ratio aliquid agendi modo occulto. Dicuntur enim astuti in contractibus et negotiis, qui norunt modos agendi non passim obvios, quibus vel alios decipiunt, vel cavent ne decipiantur. Videtur ab Aristotele vocari δεινότης (*solertiam* quidam interpretantur), quam ipse etiam in malis ponit, ut patet l. 4. Magnorum moralium c. ult. ubi dicit *omnem prudentem esse δεινόν*, id est, *astutum vel solertem, sed non contra; quia malus etiam, δεινός, solers est, sicut Mentitor qui videbatur quidem δεινός (solers), non tamen erat prudens*. Itaque astutia generatim accepta, est quid communius quam prudentia. Verum hic accipitur magis speciatim; nempe pro notitia pravorum mediorum ad fallendum idoneorum, cum affectu exequendi conjuncta. Hoc modo accipit D. AUGUSTINUS l. 4. contra Julianum c. 3. n. 20. cum ait, *omnibus virtutibus quedam vitia esse similia; sicut astutia prudentiæ similis est, quæ tamen est vitium*. Et Apostolus 2. ad Corinth. 4. *Non ambulantes in astutia*, græce ἐν πανουργία, quo nomine proprie significatur hæc vitiosa *astutia*: quia astuti omnia tentant, in omnem partem se vertunt, ut rem conficiant. Continet artem simulandi et dissimulandi. Habet locum in iis functionibus quæ proximum respiciunt: nemo enim sibi ipsi aliquid occultat, vel in modo agendi sibi aliquid occultum optat; sed tantum proximo. Videtur hæc astutia species quedam prudentiæ carnis. Hi enim maxime videntur prudentes secundum carnem, qui modos norunt occultos obtinendi temporalia, fallendo alios.

Est peccatum mortale, vel veniale, pro ratione affectus cui subest, et nocuum quod proximo sequitur: si enim expresse vel implicite grave nocuum intendas, erit peccatum mortiferum: sicut mendacium perniciosum. Item si grave malum sequatur, idque adverteris vel facile advertere potueris: tunc enim est intentio tacita, seu interpretativa. Si autem nullum sit nocuum vel modicum, erit veniale: sicut mendacium officiosum, et jocosum. Vide Cajetanum in Summa, verbo *Astutia*.

40. *Dolus* est astutiæ executio, sive verbis, sive factis: est enim hoc nomen generale. Tantum habet locum erga proximum, et potissimum in materia iustitiæ, ut in contractibus et distributionibus. Duobus modis, secundum jurisperitos, dolus venit in contractum. Primo, dando causam contractui. Dicitur autem *dare causam contractui*, quando si dolus abfuisset, alter nullo modo voluisset contrahere. Secundo, non dando causam; sed solum inciendo in contractum: ut quando contractus fuisset quidem initus, sed non

eo pretio, verum majori aut minori. Utrum autem et quando dolus contractum vel aliam dispositionem irritam reddat, et quando non, dicemus l. 2. c. 17. dubit. 3. Porro ignorantia juris, etsi crassa sit, semper excusat a dolo, et consequenter a poena legis, quando ad eam incurrendam lex requirit dolum seu præsumptionem; quia ignorantia crassa dolus non est.

Nec obstat quod culpa lata dicatur æquiparari dolo: hoc enim solum est verum quando lex non requirit dolum, præsumptionem, aut scientiam; sed simpliciter loquitur: et in actionibus descendentibus ex contractu, vel quasi contractu, ut notat Sylvester verbo *Culpa* q. 3. et 11. ex Bartolo, Cyno, et aliis.

41. *Fraus* est executio astutiæ per facta, ut cum mensura est minor justo; cum moneta est adulterina: unde est quid contractius et minus commune quam dolus. Itaque dolus et fraus se habent ad astutiam, sicut pactiones et actiones justæ ad prudentiam. Sicut enim hæc diriguntur iudicio et regulis prudentiæ; ita illa iudicio et regulis astutiæ. Quare hi modi agendi contra prudentiam non sunt distincti ab astutia, sed executiones tantum, seu actus externi astutiæ. De his duobus dici solet: *Fraus et dolus nemini debet patrocinari*. Habetur c. Ex tenore. 16. de Rescriptis. Item: *Fraudem non fieri ei, qui scit et consentit*. l. Nemo π. de regulis juris.

Dicitur etiam fraus fieri, vel contra legem, vel ipsi legi. *Contra legem*, quando fit contra id quod lege præcipitur vel vetatur, absque colore et artificio, quo violatio illa tegatur. *Legi vero*, quando artificio quodam ita agitur contra mentem legis, ut videamur illi non repugnare; hoc autem fit potissimum tribus modis, vel juxta Sylv. v. *Fraus*, quatuor. *Primo*, supponendo personam pro persona; ut si conjux volens donationem facere conjugi, quod non potest per leges, supponat aliam personam cui donet, cum onere transferendi in conjugem. Si tutor volens emere rem pupilli, quod per leges non potest, interponat aliam personam quæ emat. *Secundo*, supponendo rem pro re; ut si filio familias volens dare mutuum, loco mutui des triticum vendendum, ut pretio fruatur; nimirum ut hac arte eludas vim l. 4. π. de senatusconsult. Macedon. ubi statuitur, ut filius familias ex mutuo non teneatur. *Tertio*, supponendo contractum pro contractu; ut si uxor in speciem vendat viro, quod intendit donare: si beneficiarius specie mutui accepti vel etiam gratitudinis, solvat centum aureos ei a quo beneficium accepit: si mulier, quæ fidejuberem non potest (per l. 2. π. ad SC. Velleianum), faciat se principalem debtricem. Qui his et similibus modis agunt, dicuntur facere fraudem legi, vel in fraudem legis, et non excusantur coram Deo a prævaricatione legis, etsi coram hominibus videantur legem servare.

42. *Sollicitudo temporalium* est nimia mentis occupatio in illis conquirendis vel conservandis, proveniens ex inordinato habendi amore, vel amittendi timore. Itaque tria in hoc vitio includuntur: primum est, nimius affectus ad bona temporalia: secundum, timor et anxietas quedam, ne vel conatus nostri in iis corradendis non satis bene succedant, vel damnum aliquod interveniat: tertium, nimia occupatio mentis in illis cogitandis et tractandis.

Sollicitudo futurorum est nimia animi occupatio circa futura, maxime ut vitæ necessaria habeantur, conjuncta cum anxietate et parva fiducia divinæ

providentiæ; ut cum quis plus quam par est sollicitus est de victu, vestitu, aliisque rebus necessariis, in futurum annum, mensem, vel diem; est species sollicitudinis temporalium.

43. Hæc sollicitudines, si modum justum excedant, maxime sunt noxiæ salutis. *Primo*, quia includunt cupiditatem rerum temporalium, quam Apostolus 1. ad Timoth. 6. vocat *radicem omnium malorum*. *Radix*, inquit, *omnium malorum est cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis*; de qua infra L. 2. c. 47. *Secundo*, quia impediunt animum a seria cogitatione rerum ad salutem pertinentium: quo nihil potest esse magis perniciosum; bona enim spiritalia nisi attente et crebro cogitentur, non cognoscitur eorum dignitas et pulchritudo; quod autem non cognoscitur, non æstimatur; quod non æstimatur, non amatur, non quæritur, facile negligitur et contemnitur. Pari modo, peccatorum malignitas et damna immensa, nisi attenta consideratione, non cognoscuntur; quo fit ut etiam non horreantur, nec vitentur ut par est. Et sane, si quis diligenter advertat animum, deprehendet omnes fere lapsus et peccata hominum ex defectu considerationis provenire; ut merito dixerit Aristoteles *omnem peccantem esse quodammodo ignorantem*. Nam omnes, vel fere omnes ideo peccant, quod malitiam peccati, et pœnam ipsi debitam, vel non considerent, vel non satis considerent; quantum videlicet in tali articulo conveniret.

44. Hinc Scriptura vocat peccatores stultos, fatuos, insensatos, insipientes; non tamen hinc inferas omne peccatum esse ex ignorantia: hoc enim postulat ut nesciatur esse peccatum. *Tertio*, quia bonas inspirationes impediunt ne fructum pariant. Unde Matth. 13. dicitur, sollicitudines seculi, tanquam spinas quasdam, semen verbi divini suffocare. Itaque cum hujus in considerando defectus causa sit, maxima ex parte, temporalium sollicitudo, perspicuum est illam esse valde perniciosam, et vitandam. Unde Dominus multis rationibus conatur eam nobis eximere, Matth. 6. *Ideo*, inquit, *dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini*. Idque confirmat primo, quia qui animam dedit, quæ longe est præstantior quam esca, dabit etiam escam: et qui corpus dedit, dabit vestimentum. Secundo, si Deus, qui est pater vester, pascit aves cœli, quæ neque serunt, neque metunt, neque congregant in horrea; quanto magis pascet vos suos filios? Tertio, si pulcherrime vestit lilia et fœnum agri, quomodo patietur vobis vestes necessarias deesse? Ex his concludit, rursus repetens quod ante dixerat: *Nolite ergo solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur?*

Deinde addit novas rationes. Prima est, quod Gentium sit divinam providentiam et paternam Dei curam ignorantium, hæc anxie inquirere. Secunda, quod Pater noster cœlestis sciat nos his omnibus indigere: ac proinde, si ante omnia quæramus regnum Dei, et justitiam ejus, quod ipse a nobis requirit, hæc omnia tanquam vilia et parvi momenti nobis adjicienda; sicut in emptione rerum pretiosarum, vilia quædam mantissæ loco adjici solent. Tertia, quod crastinus dies, cum præsens fuerit, sollicitus erit sibi ipsi; sufficere enim diei suam malitiam, id est afflictionem et sollicitudinem ipsi congruentem; nec oportere eam ex futuris diebus accersere et præcipere.

Ex his colligas quanti hæc res sit momenti; vide CHRYSOST. hom. 22. in Matth. Eandem vetat Lucæ 21. *Attendite ne forte graventur corpora vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitæ; et superveniat in vos repentina dies illa*. Omitto alia Scripturæ loca plurima.

45. *Petes*, An ergo sit peccatum mortiferum?

Respond. Non semper esse peccatum mortiferum; sed tunc solum, quando quis propter temporalia reipsa violat, vel paratus est violare aliquod præceptum in re gravi, omittendo, vel committendo: alias solum est veniale; tamen ob causam supradictam summopere cavenda; vide D. THOMAM a. 6. q. 53.

Adverte tamen moderatam sollicitudinem temporalium et futurorum non vetari, sed commendari. Proverb. 6. *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam: quæ cum non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æstate cibum sibi, et congregat in messe, quod comedat*. Proverb. 10. *Qui congregat in messe, filius sapiens est; qui autem stertit æstate, filius confusionis*.

Ratio est, quia non vult Dominus, ut omnia vitæ huic necessaria homini sponte, absque ulla cura ipsius et sollicitudine, proveniant; id enim ipsi esset occasio otii et desidiæ, quæ maximorum malorum est origo, et merito pulvinar diaboli esse dicitur: sed vult ab eo laborem et sollicitudinem adhiberi; ut hoc exercitio occupatus avocetur a libidinibus, aliisque peccatis quæ otium parit. Verum hæc sollicitudo debet esse moderata, et commensa rebus quibus impenditur; ut non sit nimis anxia, quasi Deo non essemus curæ: nec major tribuatur corpori quam spiritui, rebus temporalibus quam æternis, humanis quam divinis, vel saltem ne hæc præ illis negligantur.